

*Saperda virgula.*

Sap. nigra, capite thoraceque piloso, thoracis in dorso antice macula rufa: femoribus in medio rufis.

Habitat in Dalmatia.

Saperdae Lineolae Fabricii maxime affinis, diversa tamen et quidem his partibus: 1) statura angustiore, longiore; 2) capite multo latiore, et fronte plana, quae in S. lin. tumida sive globosa est; 3) thorace elongato, recto, qui in S. lin. brevior et in lateribus convexus est; 4) capite thoraceque valde pilosis; 5) figura et situ maculae parvae rufae in thoracis dorso. Haec macula est rotunda et pone marginem thoracis anticum posita: in S. lineola est oblonga et in medio thorace posita; 6) elytrorum punctis pluribus impressis et majoribus; 7) antennis brunneis, quae in S. lin. nigrae sunt; 8) femoribus tantum in medio rufis, quae in S. lin. rufa tota sunt: fortasse tamen hoc signum non certum et color femorum varians est.

*Callidium glabratum.*

Call. depressum, glabrum, luteum, thorace tuberculis pluribus glabrioribus tecto.

Habitat in Hungaria.

Dahl hoc *Callidium* ad me misit sub nomine *C. castanei*: quod vero nomen quia celeb. Paykull jam alii insecto imposuit, aliud erat substituendum.

Est e minoribus, oblongum, depressum, antennis abdomine brevioribus: undique glabrum, nitens, pilis minimis paucioribus vix sericeum.

Thorax modice globosus, supra habet tubercula sex aut septem, quorum superficies reliqua thoracis parte est glabrior.

Elytra aequalia, punctis impressis, luteo-ferruginea, apicem versus nigrescentia.

Pedes lucidiores, glabri, femoribus incrassatis.

*Callidium barbipes.*

*C. atrum*, elytris glabris, testaceo-ferrugineis, luteo pilosum.

Dej. Cat. pag. 110. *Call. barbipes*. Dahl. *Call. pubescens* Ziegler.

Habitat in Saxonia, Austria.

Mediae vel minoris magnitudinis: totum atrum, pilis longis luteis, in thorace frequentioribus, pubescens, elytris solis testaceo-ferrugineis.

Caput rotundatum, fronte impressa: antennae maris corpore longiores, foeminae corporis longitudine, aterritimae, subhirsutulae, ultimis articulis fuscis. Articulus basalis crassus, oblongus; in maribus secundus, tertius et quartus minimi, rotundati, globosi: reliqui cylindrici, tenues, illis globosis triplo longiores. In foeminis articulus tantummodo secundus reliquis est minor.

Thorax globosus, postice marginatus, pilis luteis villosus.

Elytra oblonga aequalia, basi pone scutellum et pone humeros cum tuberculis duobus oblongulis: lineis paucioribus longitudinalibus, elevatis, subobliteratis: superficie irregulariter et subtiliter punctata, testaceo-ferruginea. Subtus atrum, pilis nonnullis sericeum. Segmentorum margines interdum fuscii.

Pedes atri undique pilosi: femora clavata: tarsi fuscii.

*Callidium* ob maris antennarum structuram notabile: id etiam in museis sub nomine *Callidii Pruni* reperi.

A. *Callid. fusco* Fabr. (*C. castaneo* Linn. et Payk.) longe diversum: multo magis depressum et in pluribus partibus distinctum.